Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. I. Pars I.
Wien, 1793 Seite 875
Quelle:
Copyright:

Addam unum alterumve Specimen:

Si quem barbatum faceret ſua barba beatum,
In toto circo non eſſet ſanctior hirco. —
Qui cupit inferre digitos in quodque foramen,
Fedos ſepe refert. Nec enim decet omne probare. —
Qui tenet anguillam per caudam, non tenet illam. —
Dat Deus omne bonum, ſed non per cornua taurum. &c.

Compilatorem hunc Germanum fuiſſe, colligas e verſu.

Cum ſit fedatum lac, tarde proferimus Kacz!

Librarius vero ſubſcripſit: *Explicit materia bona videlicet materia Jocalium per manus Symonis* et minio: *Symone bay ſlyſs.*

VII. *fol.* 125. fine inſcriptione ſed e praevio *Codicis* indice *M. Joh. Huſs Tractatus de Corpore Chriſti.* Et ita re ipſa extat *Opp. cit.* T. I. p. 202. hoc initio: *Inpugnantibus verba ewangelij et ignorantibus circa ſacramentum dominici corporis veritatem* &c. In *Cod.* tamen ſub finem 16. lineis ulterius procurrit.

VIII. *fol.* 131. p. 2. Literae Univerſit. *Oxonienſis* pro *Joh. Wicleſſo* datae 1406. 5. *Octobr.* prout extant *Opp. Huſſi cit.* T. II. p. 542. Figmentum ad commendanda *Wicleſſi* Scripta. Cum enim negent *Wicleſſum* ab *Angliae* Praelatis pro Haeretico condemnatum, vel ſola inſpecta Conciliorum *Angliae* ſerie chronologica aperte νοθειας convincuntur; apertius vero ab *Ant. de Wood* L. I. *Hiſt. et Antiquit. Univ. Oxon.* p. 203. agente de *Petro Anglico* ſive *Payne*, *qui cum Academicus Oxon. et Wicliffianis partibus addictiſſimus eſſet, litteras modo dictas cum ſociis ementitus, easdem ſigillo, quod furtim erat adeptus, univerſitatis munivit.* Vide, ſi lubet, totum illius locum, et defecatius in *Opp. Huſſi* Editoribus judicium deſiderabis.

CCLII. VIII. F. 19

Codex membraneus lat. Sec. XII. Folior. 181. 4. luculente ſcriptus et rubricis enotatus continet Sequentia: I. *Incipit Prologus Euſebii Hieronimi. Cum verbis Joviniani et Contradictionibus ipſius.* Libri II. ſunt Doctoris noſtri contra *Jovinianum*, qui extant Edit. *Vallarſ.* T. II. *Veronae.* 1735. p. 237. f. Utrique Libro in *Cod.* noſtro praemiſſae ſunt *Capitulationes* XXXIX. et XXXI. Initium Lib. I. *Pauci admodum dies ſunt, quo Sancti ex urbe fratres* &c. N. 3. *Editor.* poſt verba: *ut virginitati detrahat*, ſubjungit Codex: *qui male abſtineat ex omnibus, quę benedixit deus*, quam περικοπην nec *Mauriani*, nec *Vallarſius* in ſuis *Mſs.* in- 475